# Friderico Thierschio

**Diem festum,**

quo die ante hos quinquaginta annos summos honores academicos
Gottingae accepit

**Collegae Gymnasii Maximilianei congratulantur.**

---

Continetur commentatio Antonii Linsmayeri de vita excellentium ducum exterarum gentium.

**Monachii** MDCCCLVIII.
Georgius Franzius impressit.

Liber, qui inscribitur de excellentibus ducibus exterarum nationum, magnum certamen inter eos movit, qui studia antiquitatis amplexi sunt, quum alii eum operis, quod Cornelius Nepos pluribus libris composuisse traditur, partem esse contenderent, alii vitas, quae exstarent, epitomen illarum, quas Cornelius Nepos composuerat, esse dicerent, alii denique Aemilium Probum vel alium quempiam literatum saeculo quarto p. Ch. has vitas scripsisse putarent. Ac si argumenta, quae attulerunt, examinaveris, negare non poteris, magnam dubitationem illa inicere, cuius autoris ille liber sit. Neque tamen ex omnibus partibus res tractata est. Quum igitur illas vitas cum discipulis tractans quaedam, quae ad rem pertinerent, animadvertisse mihi viderer, conscripsi, quae de ea re sentiebam, ut tibi, clarissime atque doctissime vir, cui scholarum constitutio per totam vitam maximae curae erat, die festo, quo ante hos quinquaginta annos doctorum virorum gregi summo cum honore adscriptus es, quantulumcumque pietatis documentum ex ipsis scholarum subselliis offerrem. —

Argumenta, quibus ii, qui librum de excellentibus ducibus exterarum gentium Cornelio Nepoti abiudicant, suam sententiam affirmare student, partim externa sunt, partim ex iis sumta, quae in libro scripta leguntur. Ordiamur igitur ab iis, testimoniis, si placet, quae non ab ipso auctore sumuntur. Atque primum codicum, quibus vitae excellentium ducum continentur, ratio habenda est. Magnum enim testimonium codices perhibent, qui vitas Attici et Catonis Cornelii Nepotis esse fere uno consensu testantur, reliquis vitis Aemilii Probi nomen inscriptum habent. Unde factum est, ut qui de auctore libri disputabant, de Attici et Catonis vitarum auctore consentirent, de reliquis non item. Res hoc modo se habet. In melioribus codicibus haec est inscriptio: Aemilius Probus de excellentibus ducibus exterarum gentium vel alia quae, quamquam paullo ab illa differt, tamen Aemilii Probi nomen servat. Sed mihi cogitanti, cuius autoris liber esset, magna dubitatio de hac inscriptione iniecta est. Veteres enim scriptores, qui de Cornelii Nepotis opere mentionem fecerunt, eum plures libros vitaram praeclarorum virorum composuisse tradiderunt. Ipsius autem procemii, quod vocant, extrema verba indicant, non procemium exstare sed finem libri. Quid enim? nonne verba quae illic leguntur: Sed hic plura persequi magnitudo voluminis prohibet, in fine libri collocari solent, quum deinceps ad alterum auctor transiturus est. Exempla enumerare longum est neque necessarium. Nusquam vero procemium volumen appellatur, unde sequitur, hoc

loco non procemium, sed extremam libri partem exstare. Et Bernhardius ipse, qui nuper maxime dubitavit, utrum Cornelius Nepos operis, de quo quaerimus, auctor esset nec ne, praefationem, quam vocant, integram esse, negavit. At alii ita interpretati sunt, ut qui sequeretur liber, illud esse volumen dicerent. Sed id ne concedamus, quae addita sunt verba, prohibent: tum festinatio ut ea explicem, quae exorsus sum. Quare ad propositum veniemus et in hoc libro exponemus de vita excellentium imperatorum. Nemo enim dicet, quid *hoc* libro expositurus sit, nisi alia libro praecedente iam exposuerit.

Ergo credamus oportet, unum aut plures libros vitarum *illustrium virorum* praecessisse, sed *hoc* libro de vita *excellentium imperatorum* exponi.

Quid igitur? si illa verba, non dubito prima reliquiarum deperditi libri sunt, num verisimile est, inscriptionem illam, quae praeposita est reliquiis integram esse? Sed de hoc hactenus. Iam illud teneamus, etsi optimi codices Aemilii Probi nomen praescriptum habeant, non omnes eandem inscriptionem exhibere codices. Cornelii Nepotis nomen praeferre dicuntur Vindobonensis unus, Harleianus **2601**, Parmensis, Madritenses duo, Toletani duo. Unum exemplar, calamo exaratum, ab Arnoldo Arlenio Ferrariae emtum teste Magio, cui eius inspiciendi copia facta est, hunc titulum praebuit: *Aemilii Probi de imperatoribus exterarum gentium liber*, sed in clausula subiecta verba haec habet: *Completum est opus Aemilii Probi Cornelii Nepotis.*

Accedit quod ista inscriptio ne certam quidem sedem habet. Etenim unus codex, quem a Baldo Martorello anno **1456** scriptum Rinckius Mediolani in Ambrosiana inspexit, cum primo folio titulus exstet: *Vitae illustrium virorum*, post praefationem interpositum habet: *Incipit Aemilius Probus.* Sed subsequuntur Atticus, Cato et fragmentum epistolarum Corneliae ad Caium filium, unde intelligitur, ne post praefationem quidem illam inscriptionem recte se habere. Quae de inscriptione cogitem, iam exposui, eam magnam suspicionem movere, ne sit suppositicia.

Neque minus suspecta vel, ut dicam, quod sentio, suppositicia est subscriptio, quae fini vitae Hannibalis in codice Marciano addita est his verbis: *Aemilii Probi Vitae illustrium imperatorum finiunt.* Idem codex incipit his verbis: *Aemilii Probi vitae plurimorum excellentium imperatorum.* Hic ipsa verba inscriptionis et subscriptionis inter se discrepantia, quum inscriptio **excellentium** *imperatorum* subscriptio **illustrium** imperatorum praebeat. falsarium indicant, ut omittam illud insolitum: *vitae finiunt.* Etiam in codice coll. R. signato haec subscriptio vitae Attici subiecta exstat: *Emilius probus de illustribus ducibus exterarum gentium explicit*; quo magis eam certa sede carentem suspectam habeas. Ab reliquis codicibus abest subscriptio.

Accedit alterum argumentum, idque ni fallor gravioris momenti, quo ipsam vitam Hannibalis, cui et subscriptio, de qua agimus et carmen de quo paullo post dicturi sumus, Cornelii Nepotis esse probetur. Diomedes enim grammaticus [1]) tradidit, Nepotem vocem propius dativo casu junxisse. Exstat autem exemplum huius constructionis in Hannibalis vita cap. VIII his verbis: propius Tiberi quam Thermopylis.

Venio iam ad argumentum quo gravius exterorum argumentorum nullum indicaverunt, qui vitas Aemilio Probo tribuerunt. Exstat enim post vitam Hannibalis carmen, quod Aemilium Probum auctorem prodere videtur, his versibus:

Vade liber noster, fato meliore memento
  Cum leget haec dominus, te sciat esse meum.
Nec metuas fulvo strictos diademate crines,
  Ridentes blandum vel pietate oculos.
Communis cunctis hominem sed regna tenere
  Se meminit. Vincit hinc magis ille homines.
Ornentur steriles fragili tectura libelli;
  Theodosio et doctis carmina nuda placent.
Si rogat auctorem, paulatim detege nostrum
  Tunc domino nomen: me sciat esse probum.
Corpore in hoc manus est genitoris avique meaque
  Felices, dominum quae meruere, manus.

Quod carmen quibus mendis contra leges versuum pangendorum foedatum sit, Boekhius ostendit. In Ephemiridis quidam demonstravit, quam male qui hos versus panxit Ovidii carmina, quae tristia inscribuntur, imitatus sit. Quin etiam Rinckius, qui haec vitia defendere studuit, et extremos duos versus liberarii esse concessit, nec quidquam certi de reliquis attulit. Accedunt duo argumenta quibus permoti illo carmine evinci negamus, ut quae praecedant vitae ad Aemilium Probum auctorem referendae sint.

Quid enim sibi volunt hi duo versus:

Ornentur steriles fragili tectura libelli
Theodosia et doctis carmina nuda placent.

Equidem autorem carmina in unum corpus collecta imperatori commendare putaverim non vitas, nisi forte voce carminis vitae soluta oratione compositae significantur.

Quid igitur? Vitae Hanibalis quam illud carmen excipit extrema verba sunt haec: Sed nos tempus est huius libri facere finem et Romanorum explicare imperatores, quo facilius collatis utrorumque factis, qui viri praeferendi sint, possit

[1]) Diomedis artis grammatice lib. I. pag. 410 ed. Hen. Keil.

iudicari. Concluditur igitur liber de excellentibus ducibus exterarum nationum et transitio fit ad librum de imperatorum Romanorum vita, qui liber periit. Nonne igitur verisimile est, carmen, quod thesauri carminum primum erat, ad calcem libri finiti adscriptum esse? Nam poetae Romani carmen, quo eum celebrabant, ad quem librum mittebant, reliquis carminibus praeponebant, ut primum esset carminum. Ad eam igitur adducimur sententiam, ut carmen, quod post vitam Hannibalis exstat, thesauri carminum, quae sive Aemilius Probus sive alius auctor panxit, primum esse censeamus.

Nam ne carminis quidem auctorem fuisse hominem, qui Probus cognominaretur, certo confirmaverim. Illis enim versibus

Si rogat auctorem, paulatim detege nostrum
Tunc domino nomen: me sciat esse probum

autoris nomen prodi non est ut credere cogamur. Nam poetae Romani in carminibus, quae sua esse intelligi volunt, hanc tenent consuetudinem, ut non nomen suum versibus admisceant, sed se significent. Quod obscurius Ovidius [1]) primo carmine tristium apertius Catulus fecit [2]). Eadem ratione usus auctor huius carminis verbis additis „me sciat esse probum," nihil prodere videtur, nisi se esse probum hominem. Quae quum ita sint librarius, qui nomen adiectivum cognomen esse stolidus putavit, idem nomen et his versibus et libro praecedenti addidisse mihi videtur, unde factum est, ut carmen, quod ex principio unius libri ad calcem alterius translatum erat, toti codici nomen inderet. Jam quae externa sunt argumenta percensuimus, nunc ea videamus, quae in libro scripta leguntur.

Qui librum, quo vita excellentium imperatorum continetur, recensuerunt, multis rebus quae ab auctore traduntur contra historiae fidem peccari reprehenderunt. Neque negari potest, esse quae auctor aut ex deteriore fonte hauserit aut immutaverit. Sed qui vituperant auctorem, rem gravissimam neglexisse mihi videntur, quam ut examinemus primum videamus quae ratio studia litterarum promovendi fuerit illo tempore, quo Cornelius Nepos floruit, deinde quem homines aequales finem historiae esse iudicaverint, denique quem locum et autor libri, de quo quaerimus et ipse Cornelius Nepos obtinuerit.

Atque Cornelius Nepos intima familiaritate usus est et M. Tullii Ciceronis et Q. Valerii Catulli et ab utroque magni aestimabatur. Sed M. T. Cicero princeps doctorum virorum fuit, qui in oratione rationem eleganter dicendi sequerentur. De quo plura dicere, supersedere possum, postquam Mommsenius [3]) nuper vere et perfecte docuit, quem summus ille Romanorum orator locum obtinuerit.

---

[1]) Ovid. trist. I. 1, 59 et cet.
[2]) Carmen 61, 11 et cet.
[3]) R. G. III. 535.

Neque iis, quae Mommsenius [1]) et Bernhardius [2]) de Catullo attulerunt, aliquid addam necesse est.

Elegantiam orationis ac doctrinam, quam vocabant, et oratores et poetae illius temporis ita secuti sunt, ut vocabula et antiqua et insolita reicerent et doctae cuiusdam sapientiae famam captarent.

Sed credamus oportet, alios fuisse, qui ab illo genere litterarum alieni quum veteres laudarent scriptores, tum priscos poetas admirarentur. Nam populus Romanus, qui quidem veterum institutorum veterisque morum integritatis tenax fuit, novum illud genus litterarum et studiorum ex Graecia allatorum impugnabat. Unde accidit ut essent, qui prisca illa monumenta laudarent [3]) neque deessent qui de illa nimia veterum scriptorum laude quererentur [4]).

Quis vero dubitat, quin rerum scriptores Romani antiquis temporibus longe aliam rationem historiam scribendi secuti sint, ac Graeci. Nam ut in annalibus pontificum quae memoratu digna domi militiaeque terra marique gerebantur per singulos dies notabantur [5]) ita scriptores priscae illius aetatis sine ullis ornamentis monumenta solum temporum hominum locorum gestarumque rerum reliquerunt [6]). Neque immiscebant historiae aliena nisi quae famam aut reipublicae aut nobilissimae cuiusque gentis augerent. Falsis triumphis, pluribus consulatibus, generibus etiam falsis et ad plebem transitionibus cum homines humiliores in alienum eiusdem nominis infunderentur genus memoria rerum vitiata est [7]), cum familia ad se quaeque famam rerum gestarum honorumque fallenti mendacio traheret [8]). Accedit quod usque ad L. Otacilium Pilitum neminem nisi honestissimum quemque historiam scripsisse traditum est [9]) et omnes fere auctores historiam earum rerum, quibus ipsi interfuerunt, memoriae prodere solebant.

Sed postquam illa tempora insecuta sunt, quibus Herodoti, Thucydidis, Xenophontis opera a Romanis legebantur, illud genus scribendi non iam probebatur. Sed nescio quo pacto factum est, ut finem historiae et qui historiam scribebant, et qui eorum libros legebant, parum intelligerent. Maxime id intelligemus, quum ea consideraverimus, quae Quintilianus de historiae ratione cogitavit, qui in iust. or. X. 1, 31 haec dicit: Historia est proxima poetis et quodammodo c a r m e n s o l u t u m et scribitur ad narrandum n o n a d p r o b a n d u m totumque opus non ad

[1]) R. G. III. 536.
[2]) R. L. G. p. 211.
[3]) Cic. de or. 1, 44, 195.
[4]) Hor. ep. II. 1, 23.
[5]) Serv. ad Aen. 1, 373.
[6]) Cic. de or. II. 12, 53.
[7]) Cic. Brut. 16, 62.
[8]) Liv. VIII. 40 fin.
[9]) Suet. de clar. rhet. 3.

actum rei pugnamque praesentem sed ad memoriam posteritatis et ingenii famam componitur, ideoque et verbis remotioribus et liberioribus figuris narrandi taedium evitat.

Igitur narrare, delectare, laudare finem historiae esse iudicavit. Neque aliter alii sentiebant. Illam voluptatem quam ex Herodoti aliorumque graecorum historicorum operibus legendis capiebant, non divino illo ingenio, quo Graeci vigebant, Romani carebant, sed arte rhetorica effici putabant. Quare quo magis arte rhetorica auctor quisque excellebat, hoc maioribus laudibus eum efferebant. Sisennam, qui quam putidus fuerit ex reliquiis, quas Nonius aliique servaverunt, cognoscere licet, facile omnes, qui ante eum fuerant superasse dicunt, et, ut gravius quoddam afferam, ille Antonius orator Timaeum longe eruditissimum et rerum copia et sententiarum varietate abundantissimum et ipsa compositione verborum non impolitum magnam eloquentiam ad scribendum attulisse dicit [1]) sed parum recte, ut auctor περὶ ὕψους docet, qui quid in Timaeo vituperandum sit demonstrat. Deinde illud moneo, quod Cic. de leg. praefatus est [2]), ubi Atticus a Marco efflagitat, ut historiam quoque scriberet. Neque Cicero se efficere posse negat, ut hoc quoque genere Romani Graecis nihil cedant, sed esse inter se et Quintum fratrem parvam dissensionem, a quibus temporibus scribendi capiat exordium. Quintum enim ab ultimis censere repetendum esse quoniam illa sic scripta sint, ut ne legantur quidem, se autem aequalem aetatis suae memoriam deposcere, ut ea complectantur quibus ipse interfuerit. Recte ille quidem excusat, si historia praeceptis artis rhetoricae continetur. Sic certe nemo Cicerone aptior erat, qui arte rhetorica ornaret historiam; idem stolida excusatione usus est, si verum historiae finem spectamus. Et ea fuit vis artis rhetoricae, ut, si quis, ut ei satisfaceret, temporum rationem turbavisset, excusationem haberet [3]). Accedit illud. Quamquam nullus rerum scriptorum Thucydidis vim in historia scribenda assequebatur, nemo tamen eorum qui artem rhetoricam profitebantur se Thucydidem imitari non dicebat, unde magis etiam apparet, quam non intellexerint Romani facultatem in Graecis historicis natura insitam non exercitatione paratam esse. Denique ars rhetorica illis temporibus summa erat disciplina, qua omnia effici et perpoliri posse putabant.

Restat ut dicamus, quem locum Cornelius Nepos inter doctos homines suae aetatis obtinuerit, et qua ratione vitae, quarum de auctore disputamus, compositae sint.

Atque vitam et opera Cornelii Nepotis perscrutantes duo vestigia reperimus, quibus docemur eum illorum fuisse, qui docti cognominabantur. Catullus eum laudat his versibus:

---

1) Cic. de or. II. 14, 58.
2) Cic. de leg. I. 2.
3) Gellius 15, 28.

ausus es unus Italorum
Omne aevum tribus explicare chartis,
Doctis Juppiter et laboriosis;

et Nepos ipse illam doctrinam efflagitat, qui iudicat in Catonis originibus multam industriam et diligentiam comparuisse nullam doctrinam. Qua ratione Nepos vitam illustrium virorum composuerit, nullus Gramaticorum, qui exstant, memoriae prodidit. Sed Gellius [1]) tradidit Cornelium Nepotem errasse, cum in librorum primo, quos de vita Ciceronis componeret, Ciceronem tres et viginti annos natum primum causam iudicii publici egisse Sextumque Roscium parricidii reum defendisse scriberet. Et defendit eum hoc pacto: Magnus ... Nepotis ... error est, nisi quis vult in animum inducere, Nepotem studio amoris et amicitiae adductum amplificandae admirationis gratia quadriennium suppressisse, ut M. Cicero orationem florentissimam dixisse pro Roscio admodum adolescens videretur. Quid igitur? nonne hoc loco Gellius dicit, se putare Cornelium Nepotem consulto Ciceronis aetatem minuisse ut gloriam augeret? Neque vero credibile est, eum, cum Cornelii Nepotis opera integra ad manus haberet, hanc suspicionem moturum fuisse, nisi pluribus locis veritatem laudis augendae causa depravatam invenisset. At eadem ratione auctor vitae excellentium imperatorum exterarum gentium usus est, quisquis fuit. Ex praeceptis generis demonstrativi elegit et de quibus Imperatoribus et quae de singulis scripturus esset.

Ac ut prius demonstrem ex praeceptis artis rhetoricae autorem elegisse, de quibus ducibus scriberet, ex reliquiis praefationis, quam vocant, certum est, vitas ad Atticum missas esse; qua de causa Atticus vice eorum qui audiant fungitur. Quid mirum igitur, quod auctor eos laudat, qui Attico grati erant, eos aut omittit aut vituperat, quos illi offensioni esse putabat? Nam T. Pomponium Atticum Atheniensibus, qui ei omnes honores, quos poterant, habebant, inter Graecos maxime favisse certum est. Praeter ceteros igitur auctor noster claros illos Athenienses imperatores elegit et laudibus ornavit. Neque cuiquam horum aliquid opprobrio vertit, nisi Phocioni, quod eius consilio Demosthenes cum ceteris, qui bene de republica meriti existimabantur, populiscito in exilium erant expulsi; quod fecisse postea Athenienses poenituit. Lacedemoniorum contra, qui Atheniensibus adversabantur, tres selegit, ex quibus Lysander, qui Athenas oppugnaverat, inique vituperatur. Qui duces Graecorum praeterea recensentur; aut quodammodo coniuncti erant Atheniensibus aut certe non infesti. Quis igitur non videt, auctorem, qui ad Atticum librum mittebat, Athenienses maxime laudasse. Neque tamen id unum spectavit, ut eligeret, qui grati essent Attico. Nemo enim vitiis caret, quod impedimento fuit ei, qui de illustribus ducibus scribebat. Igitur alia omittebat alia leviter immutabat, quo maioribus laudibus duces efferret. Id quidem admonuisse satis est; unusquisque enim iam facile intelliget, auctorem vitae excellentium ducum exterarum gentium

[1]) Gell. noct. Att. 15, 28.

ex praeceptis artis rhetoricae de genere demonstrativo ea, quae reliqui scriptores aliter referebant aut omisisse aut immutasse. Sed ut indicamus, qua ratione id factum esse existimemus, sumamus unius alicuius imperatoris vitam et singula disquiramus.

Atque de genere Themistoclis Herodotus nihil tradidit nisi quod, eum Neocli filium appellatum esse retulit. Quae reliqui scriptores memoriae prodiderint, initio vitae Themistoclis, quam Plutarchus scripsit, collecta legimus, ubi Themistoclem patre Neocle non admodum illustri viro, matre Abrotano sive Euterpe, ignobili muliere, usum esse docemur, quae aut Thracia aut Halicarnasso aut alia Cariae urbe oriunda fuit. Auctor libri de quo quaerimus finxit patrem Themistoclis Neoclem generosum fuisse; eum uxorem Halicarnasiam civem duxisse, ex qua natum esse Themistoclem. Ecce, qua subtili ratione elegerit, matrem neque Thressam nominans, ne ignobilitatem proderet neque Caricam, ne illa *τρία κάππα κάκιστα* subaudires. Deinde illam fabulam narrat Themistoclem exhaereditatum esse, ut consilia primum deinde acta postea eventus declarentur [1]. Neque putaveris vitia illa ineuntis aetatis Themistocli apud Romanos dedecori fuisse, nam ipsi clarissimi Romanorum homines luxu perdebant adolescentiam; sed postea sive casu sive meliore natura incitati virtutis via grassabantur ad aeternam gloriam [2]. Et id ipsum auctor vitae Themistocli magnae laudi fore putavisse mihi videtur, cum cognosceretur, quem optimus quisque Romanorum vitae cursum teneret, eundem illum secutum esse. Tum quae laudabilia apud Thucydidem de Themistocle leguntur, noster quoque auctor tradidit. Inde quae sequuntur, Themistoclem Atheniensibus persuasisse, ut ea pecunia, quae quotannis civibus distribuebatur, classis centum navium aedificaretur, etiam a Plutarcho et aliis tradita sunt. Sed auctor noster non Aeginetis bellum illatum esse ab Atheniensibus memoriae prodidit sed Corcyraeos et maritimos praedones a Themistocle victos esse adicit augendae gloriae causa, credo, quia Corcyraei illo tempore plurimum inter Graecos mari valebant, et magno illi Pompeio simillimus videbatur is, qui maritimos praedones consectando mare tutum reddidisset. Idem scripsit, ut Themistocles magis illustraretur, eum solum oraculum ita interpretatum esse, ut a deo naves significari murum ligneum diceret. Tum pugnam illam singularem apud Thermopylas paucissimis verbis ita narravit, ut Themistoclis prudentia magis etiam eluceret. Sequuntur quae apud Artemisium gesta sunt. Hic quum Themistocles minus generosum se praestitisset, qui quidem, si Herodoto [3] fidem habemus pecunia corruptus Eurybiadi lucellum partito persuasit ne classem reduceret, autor noster non uno modo artem rhetoricam secutus est, quae non modo, quod obsit, sed etiam id quod neque obsit neque prosit satius esse praeterire docet. Victoriam vero illam apud Sala-

---

[1]) Cic. de or. II. 15, 63.
[2]) Val. Max. VI. 9—11.
[3]) Her. VIII. 4

minem totam Themistocli tribuit. Neque enim Mnesephili mentionem fecit, qui primus suasit Themistocli, ut Graecos arte aliqua retineret et Eurybiadis laudem minuit, ut magis essent illustria facta Themistocli. Quo consilio Themistocles Xerxem commoverit, ut iniquissimo sibi contra Graecis opportunissimo loco confligeret, deinde qua arte eundem adegerit, ut victus in Asiam reverteretur, auctor narrat; illud praeterit, quod Herodotus tradidit, Themistoclem eundem Athenienses adhortatum esse, ut in Hellespontum navigarent et pontem, quem Xerxes in eo fecerat, rescinderent. Id quoque omittit, illum eo animo ad Xerxem nuntium misisse, ut, si quid adversi ipsi in patria accidisset, apud Persas refugium haberet.[1]) Quae quum ita sint, nemini dubium esse debet, quin auctor noster, quae res a bello gestae Themistocli laudi non erant, partim omiserit, partim mutaverit; neque alium finem in eius reliquis vitae rationibus exponendis secutus esse videtur.

Atque primum quidem eum cententiones, quae Themistocli cum Aristide erant, omisisse videmus, non quo non noverit, nam in Aristidis vita earum mentionem facit, sed quod nemo eum laude dignum putaverit, qui ut civis, quem adeo abstinentia eminuisse legimus, ut cognomine iustus appellatus sit, testularum suffragio e patria eiceretur, maxime egit. Deinde quod Themistoclem Atheniensibus auctorem fuisse, ut triplicem portum Piraeeum constituerent moenibusque circumdarent, eundemque suo periculo murum Athenarum restituisse commemorat, veritatem sequitur. Quod deinceps de exilio Themistoclis tradit, Thucydide ille quidem autore utitur, rem tamen ita adumbrat, ut dubium videri possit, utrum iure an iniuria proditionis damnatus sit. Contra Plutarchus[2]) epistolas et litteras repertas esse tradidit, quae suspicionem moverent, Themistoclem non minus quam Pausaniam cum rege Persarum fecisse.

Tum inimicitiarum, quas Themistocles cum Admeto exercuerat[3]) mentio facta non est; quid? ne illud quidem cemmemoratur, quibus minis nautam, in cuius navem omnibus ignotus escenderat, ut Ephesum navigaret, coegerit[4].) Etiam Themistoclis epistolam, quam inseruit, auctor quamquam e Thucydide sumsisse dicit, tamen paullulum mutavit. Verba enim patriamque meam defendere adiecit et quod Thucydides epistolae intexuit, ipsius epistolae verbis immiscuit fraudis illius commemoratione iterum omissa, nec non extrema verba ita immutavit, ut Themistoclem scribentem faceret, se Artaxerxis amicitiam petere, cum ex Thucydide compertum habeamus illum se propter coniunctionem quam cum Xerxe haberet e cuncta Graecia esse exagitatum scripsisse. Neque praetereundum esse mihi videtur, alia tradere Plutarchum[5]), qui quod evitasse noster auctor Cononi laudi vertit[6]), id The-

---

[1]) Her. VIII, 109.
[2]) Plut. Them. c. 23.
[3]) Plut. l. l. 24.
[4]) Thuc. I, 137; Plut. l. l. 25.
[5]) Plut. l. l. c. 27.
[6]) Don. c. 3, 4.

mistoclem patrio more neglecto fecisse narrat. Quare auctor noster non eam ob causam Thucydidem secutus esse videtur, quod aetate proximus fuerit de iis, qui illorum temporum historiam reliquerunt, sed quod ea narravit, quae Themistocli laudi verti poterant. Eadem ratione de morte Themistoclis ea elegit, quae offensionem non habebant.

His igitur expositis, qua ratione vitae excellentium ducum compositae sint, intellectum puto. Quare cum Gellius Cornelium Nepotem amplificandae admirationis gratia vera suppressisse tradiderit, neque aliam legem auctorem vitarum excellentium ducum secutum esse videamus, librum, de quo quaerimus eadem ratione compositum esse, qua Cornelius Nepos in vita Ciceronis scribenda usus sit, concedamus necesse est. Demonstravimus igitur nec inscriptione nec subscriptione evinci, ut librum de vita excellentium ducum exterarum gentium Aemilii Probi esse credamus, nec carmen, quod ad calcem vitae Hannibalis adiectum est ad librum, de quo quaerimus pertinere; deinde id comprobare ausi sumus, compositionem libri nec ab litterarum studiis, qualia saeculo primo a. Ch. exercebantur, nec ab ratione historiam scribendi Cornelii Nepotis alienam esse. Haec habui, quae de libro qui inscribitur vita excellentium ducum exterarum gentium dicerem, disputatione, qua ratione loquendi Cornelius Nepos usus sit, in aliud tempus dilata.